

The Electronic *Compendium moralium notabilium* Project
(<http://web.wlu.ca/history/cnighman/CMN/index.html>)

Compendium moralium notabilium (from *Epytoma sapientie*, Venice, 1505)

Pars 4, Liber 1: De temperantia et intemperantia et pertinentibus ad eam

De temperantia et modestia modo atque nimietate: Rubrica i

Salomon in prouerbiis capitulo 30. et antepenultimo. Qui fortiter premit vbera ad eliciendum lac exprimit butyrum: et qui vehementer emungit elicit sanguinem. Ad hoc etc. Terentius infra. Idem in ecclesiastice capitulo 7. Noli esse iustus multum: neque plus sapiens quam necesse est.

Cronica de nugis philosophorum capitulo 8. scilicet de periandro. Periander comithius vnus de septem sapientibus ait: Modestus esto.

Aristoteles ethicorum libro 2. capitulo 2. Corrumpitur temperantia et sortitudo a superabundantia et defectu: a medietate autem saluatur. Ex recedere a voluptatibus efficitur temperati: et affecti maxime possumus recedere ab ipsis. Qui recedit a corporalibus voluptatibus: et hoc ipso gaudet temperatus est: qui autem tristatur intemperatus. Libro 3. capitulo 9. Medietas est circa delectationes temperantia. Idem magnorum moralium libro i. capitulo 39. Temperantia est circa delectationes et tristitias in tactu et gustu factas. Libro 2. capitulo 7. In exterioribus bonis que circa corpus sunt superabundantia facta peiores facit: puta diuitie multe facte despectores et fastidiosos facit. similiter autem et in aliis bonis principatu honore: pulchritudine: magnitudine: honor magnus factus peiores facit. 24. capitulo. Est temperatus qui non habet desideria praua. Idem rethoricorum libro i. capitulo 10. Quodcunque fuerit maius quam oportet malum est. 13. capitulo. Temperantia est virtus propter quam ad delectationes corporis ita se habent singuli vt lex precipit: in continentia autem contrarium. Libro 2. capitulo 16. Sunt iuuenes quidem viriles et intemperati: senes autem temperati et formidolosi. Idem politicorum libro i. capitulo 8. et finali. Intemperatus existens et formidolosus nihil faciet eorum que oportet. Libro 4. capitulo 9. Bene fortuitorum est possessio que media omnium. facillima enim rationi obedire super pulchrum: aut super forte: aut super ingenuum: aut super diues: aut contraria his super egenum: aut super debile: aut valde vile difficile est rationem sequi. Libro 7. capitulo i. Bonorum que circa animam vnumquodque quanto quidem vtique excedit: tanto vtile est. Iustus nullus neque temperatus a fortuna: neque propter fortunam est. Idem topicorum libro 3. Superabundantia spernendorum videtur esse: similiter autem et egestas.

Terentius in andria capitulo 2. Id arbitror apprime in vita esse vtile vt nequid nimis. In heautontimerumenone capitulo 16. Ius summum sepe summa malitia est.

Uirgilius eneide libro 10. circa medium. Nescia mens hominum satis sortisque future. / Et seruare modum rebus sublata secundis.

Oratius in epistolis libro i. epistola 6. Insani sapiens nomen feret equus iniqui. / Ultra quam satis est virtutem si petat ipsam. Idem in sermonibus libro i. sermone i. Est modus in rebus: sunt certi denique fines. / Quos vltra citraque nequit consternere rectum.

Commented [CN1]: fol.85va

Tullius rethoricorum artis veteris libro 2. capitulo 9. Temperantia est rationis in libidinem atque in alios non rectos impetus animi firma et moderata dominatio. Temperantie partes sunt continentia clementia modestia. Modestia est per quam pudor honestus puram et stabilem comparat auctoritatem. Idem rethoricorum artis noue libro 3. capitulo 2. Modestia est in animo continens moderatio cupiditatum. Idem de officiis libro i. capitulo 79. Modestia est scientia rerum que aguntur aut dicuntur loco suo collocandarum. Idem in oratione pro rege deiotaro. Frugalitatem id est modestiam temperantiam virtutem maximam iudico.

Paulus apostolus epistola ad romanos capitulo 12. Non plus sapere quam oportet sapere: sed sapere ad sobrietatem.

Seneca tragediarum in hercule furente capitulo 3. Arma non seruant modum. / Nec temperari facile nec reprimi potest. / Stricti ensis ira. In troade capitulo 4. Moderata durant. Idem epistolarum ad lucillum libro 4. epistola i. Omnis virtus est in modo. Modus certa mensura est. Libro 11. epistola 3. et finali. Nunquam pernitiōsa seruant modum. Libro 14. epistola 2. Nunquam immoderata durant: nisi illa moderatrix ratio compescuit. Idem de beneficiis libro 2. Eque peccat qui excedit quam qui deficit. Idem de tranquillitate animi. Uiciosum est vbique quod nimium est.

Stattius thebaidas libro 10. Secundis Pone modum.

Plinius de naturali hystoria libro 11. capitulo 43. et finali. Pernitiosissimum est in omni vita quod nimium est.

Iuuenalis libro 2. satyra i. Imponet finem sapiens in rebus honestis.

Lex digestorum titulo ad legem iuliam de adulteriis. l. si adulterium cum incestu §. imperatores. Difficillimum est iustum dolorem temperare.

Lex autentica vt determinatus sit numerus clericorum circa principium. Pene nihil immensum bonum est.

Martialis cocus libro vndique suscepto capitulo 2. Uirtus absque modo nomen habet vicii.

Ualerius maximus libro 4. titulo de moderatione. Theopompus rex spartanorum cum primus instituisset vt ephori lacedemonie crearentur: ita futuri regie potestati oppositi quemadmodum rome consulari imperio tribuni plebis sunt obiecti: atque illi vxor dixisset id egisse illum vt filiis minorem potestatem relinqueret relinquam inquit: sed diuturniorem. optime quidem: ea enim demum tuta est potentia que viribus suis modum imponit. Igitur theopompus regum legitimis vinculis constringendo quo longius a licentia retraxit hoc ad beniuolentiam ciuium propius admouit. Nihil est tam preclarum: aut tam magnificum: quod non moderatione temperari desideret.

Auctor libelli de formula honeste vite capitulo 2. Non tibi dabis impetus liberos: sed circūspicies quo eundem sit vel quousque. 4. capitulo. Continentiam si diligis circūcide superflua et in artum desideria tua constringe. Nec extollas quemquam nec deicias.

Commented [CN2]: fol.85vb

Commented [CN3]: fol.86ra

Ambrosius de officiis libro i. capitulo 23. Temperantia modum ordinemque seruat omniumque vel agenda vel dicenda arbitramur.

Cato capitulo 3. Quod nimium est fugito.

Cassiodorus epistolarum libro i. epistola 4. Uoluntas recta in grauibus passionibus non est. 10. epistola. Assidue dimicantibus difficile est morum custodire mensuram. 18. epistola. Modus vbique laudandus est. Libro 2. epistola 26. Cum temperantia diligitur: velociter profutura succedunt. 41. epistola et finali. Is vincit assidue qui nouit omnia temperare. Libro 3. epistola i. Moderatio prouida est que gentes seruat furor autem instantiam plerunque precipitat. 11. epistola. Modesta dilige. Libro 4. epistola 4. Modus raro letis rebus imponitur: qui magis in tristibus inuenitur. Libro 9. epistola 15. Omnia decet sub ratione moderari: nec possunt dici iuxta que nimia sunt. 25. epistola et finali. Indubitata gloria morum est custodisse mensuram. Libro 10. epistola 3. Niminum non placet: etiam quod bonum putatur. 11. epistola. De modestia laus sumitur: de elatione odium concitatur. Idem de anima capitulo 7. Contra delectationes illicitas et voluntates feruidas moderatrix nobis temperantia suffragatur.

Isidorus solliloquiorum libro 2. capitulo 46. Etiam in bonis immoderatus esse non debes. / Omnia in suo modo perfecta sunt. / Bona immoderato vsu noxia efficiuntur. / Nimietas omnis in vicio deputatur. 49. capitulo. Omne quod nimis est vicium est.

Auctor libelli qui dicitur facetus capitulo 5. Sed tamen in contractis placidus modus est adhibendus. / Nam sine mensura nil valet esse bonum.

Auctor rudium doctrine libro 2. Et modus in rebus res facit esse bonas.

Heinricus samariensis libro 2. Preualet in cunctis discreta modestia rebus. / **Qua** sine virtutum grande peribit opus.

Commented [CN4]: fol.86rb

Iacobus beneuentanus capitulo 22. Nam decet omnes / Actibus in cunctis semper habere modum.

Gaufridus in poetria capitulo 31. In omnibus vna / Est virtus seruare modum.

Ricardus iudex venusinus libro de pertractatione nuptiis capitulo 33. Quas agimus cunctis modus est in rebus habendus. / Iusque rectumque perit deficiente modo.

Montenarius in luna cleri capitulo 92. Qui nimis emungit fundit pro lacte cruorem.

Prouerbia metrica extraordinem libro vagantia. Omne quod est nimium vertitur in vicium. / Semper ad omne quod est mensuram ponere prodest.

Prouerbia vulgaria. Mesura dura. / Ogno tropo nose. / Chi a misura per amiga la el traze dogna briga. / Chi tutto vole tutto perde / Chi tropo abraza pocho strenze / Chi tropo parla spesso pecca / Chi piu monta che non de: piu tosto caze che no cre. / Chi ha troppo peure en polenta en mete. / Chi troppo misura pocho laura. / Omne soperchio rompe couerchio.

De medio et extremis: Rubrica 2

Aristoteles ethicorum libro 2. capitulo 5. Medium est quod equaliter distat ab vtroque extremorum. Omnis sciens superabundantiam et defectum fugit: medium autem querit. Uirtus medii est coniecturatrix. Malitie quidem est superabundantia et defectus: virtutis autem medietas. 6. capitulo. In omnibus medietas est laudanda: extrema autem non recta nec laudabilia: sed vituperabilia sunt. 7. capitulo et finali. In vnoquoque medium accipere difficile est. Medium attingere summe difficile est. Medius habitus in omnibus laudabilis est. Libro 4. capitulo 6. Superabundantie et defectus vituperabiles sunt. Libro 5. capitulo 3. Equale est medium maioris et minoris. Idem magnorum moralium libro i. capitulo 11. Medium habere difficile est. 40. capitulo. Optimum est medium. Idem politicorum libro 3. capitulo 9. et penultimo. Iustum querentes medium querunt. Libro 4. capitulo 9. Quod mediocre optimum est: et quod medium. Que media optima sunt. Paucum est quod medium semper. Libro 5. capitulo 6. Quod iustum est equale videtur esse. Libro 6. capitulo 2. Semper querunt quod iustum et quod equale est: quam minores sunt: preeminentes autem nihil curant. Libro 8. capitulo 7. Medium superabundantiarum laudamus et dicimus prosequi oportere.

Ovidius methamorphosis libro 2. Medio tutissimus ibis.

Seneca tragediarum in hercule etheo capitulo 6. Quisquis medium defugit iter. / Stabili nunquam tramite curret.

Maximianus: Maior enim mediis gratia rebus inest.

Heinricus samariensis libro 2. Nec viscosa manus oleo nec vncta sit vno. / Interutrumque tenens respuat omne nimis.

De modo exigentie cuiuscumque proportionalitatis seu conformitatis: Rubrica 3

Oratius in poetria. Sumite materiam vestris qui scribitis equam viribus: et versate diu quid fere recusent. / Quid valeant humeri. Idem in epistolis libro i. epistola 7. Paruum parua decent.

Ovidius de remedio amoris libro 2. et finali. Infirmis culpa pusilla nocet. / Nutritur vento: vento restringitur ignis / Lewis alit flammas: grandior aura necat.

Paulus apostolus epistola 2. ad corinthios capitulo 9. Qui parce seminat parce et metet.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 19. epistola 2. Aptari corpus viribus debet nec plus occupari quam cui sufficere possumus. Idem de tranquillitate animi: Necessesse est opprimant onera que ferente maiora sunt.

Cato capitulo 4. Quod potes id tenta: operis ne pondere pressus / Succumbat labor: et frustra tentata relinquis.

Cassiodorus epistolarum libro 8. epistola 20. Contrariis rebus plerunque medicina paratur.

Caldo 29. fabula. Non vltra vires discant presumere viles.

Commented [CN5]: fol.86va

Commented [CN6]: fol.86vb

Gualterius de castellione libro 10. et finali. Sic se conformet meritis cuiusque gethea: / Ut qui deliquit leuius: leuioribus ille / Subiaceat penis: et qui grauiore reatu / Excessit grauius: grauiorem sentiat ignem.

Gaufridus in poetria capitulo 31. Gressus precurrant oculi: preconsole mentem. / Et vires metire tuas: si fortis es aude / Grandia. si fragilis: humeris impone minora / Si mediocris: ama mediocria: sumere noli / Que quando sumis presumas in omnibus ima. / Est virtus seruare modum memor imprime menti.

Prouerbia vulgaria. A carne de louo salsa de cane. Acotal molton cotal bocon. Chi alaro vole enuolare laro conuene essere.

De paucitatis acceptabilitate et reprobatione multitudinis: Rubrica 4

Aristoteles ethicorum libro 8. capitulo 4. Multis esse amicum secundum perfectam amicitiam non contingit: quemadmodum neque amare multas simul. Multas simul eidem placere valde non facile. Libro 9. capitulo 11. Difficile fit et congaudere et condolere familiariter multis. Non contingere videbitur multis esse amicum valde: propter quod neque amare plures. Idem politicorum libro 2. capitulo i. Multi seruientes quandoque deterius seruiunt paucioribus. 8. capitulo. Unum opus ab vno optime perficitur. 9. capitulo. Non est facile prospicere multa vnum. Libro 4. capitulo 12. Melius vnumquodque opus sortitur cura circa vnum intenta quam circa multa. Libro 7. capitulo 3. Difficile forte aut impossibile bene legibus regi eam ciuitatem que valde multorum hominum est. Ualde excedens numerus non potest participare ordinem. [idem] rethoricorum libro 3. et finali capitulo 14. Quanto fuerit maior populus: tanto remotior intellectus. Idem topicorum libro 7. Uerisimile est in multis magis quam in paucis peccatum fieri.

Tullius tusculanarum questionum libro 2. Pauca ipsa sepe multum prosunt et ferunt fructus.

Seneca epistolarum ad lucillum libro i. capitulo 2. Distrahit librorum multitudo: itaque cum legere non possis quantum habueris satis est habere quantum legas. Libro 6. capitulo 3. Lectio crebra prodest vana delectat. Idem de tranquillitate animi. Onerat discentem turba librorum: non instituit multoque satius est paucis te auctoribus tradere quam errare per multos. Idem de beneficiis libro 5. Solet plus prodesse si pauca precepta sapientie teneas: sed illa in promptu et in vsu tibi sint: quam si multa quidem didiceris: sed illa non habeas ad manum. Idem de consolatione ad elbiam matrem: Cupiditati nihil satis est: nature satis est etiam parum. Necessariis rebus exilia sufficiunt: superuacuis non regna. Idem de beata vita. Argumentum pessimi turba est.

Lex codicis titulo de veteri iure enucleando libro 2. §. sed et si quid. Multo melius est pauca idonee effundere quam multis inutilibus homines pregrauari. Lex autentici titulo de referendariis sacri palatii ad finem. Multitudo hominum numerosa nihil habet honestum: quoniam paucis ex multis que secundum virtutem est vita saluatur.

Commented [CN7]: fol.87ra

Uegetius de re militari libro i. titulo i. In certamine bellorum exercitata paucitas ad victoriam est promptior: rudis et indomita multitudo exposita semper ad cedem. Libro 3. titulo i. Pluribus casibus subiacet amplior multitudo.

Martialis cocus libro vndique suscepto capitulo 2. Predicat hermagoras non omnibus esse placendum. / Elige de multis regule cui placeas.

Boetius de consolatione libro 2. capitulo 9. Paucis minimisque natura contenta est.

Cassiodorus epistolarum libro 7. epistola 2. Dum tempus potantis prolixum queritur **culparum** opprobria non vitantur. 9. epistola. A paucis accipit qui nimium querit.

Commented [CN8]: fol.87rb

Gregorius in pastorali capitulo 5. Impar quisque inuenitur ad singula dum confusa mente diuiditur ad multa. Nequaquam plene vnius cuiusque operis ratio colligitur dum mens per diuersa partitur.

Montenarius in luna cleri capitulo i. Mens variis hebetatur dedita curis. Capitulo 93. Plura petit vicium: paucis natura fouetur.

Prouerbia metrica extraordinem libro vagantia. Pluribus intentus minor est ad singula sensus. / Qui binos lepores vna sectabitur hora: / Uno quandoque: quandoque carebit vtroque. / Segnius expediunt commissa negocia plures.

Prouerbia vulgaria. Chi doe leuore caza luna perda elaltra lassa.

De paulatinorum potentia: Rubrica 5

Job hystoria capitulo 14. Lapidex excauat aqua: et aluuione paulatim terra consumitur.

Aristoteles politicorum libro 5. capitulo 6. Substantias consumunt parue expense sepe facte.

Jesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 19. Qui negligit modica paulatim decedit.

Ouidius de arte amandi libro primo. Tempore difficiles veniunt ad aratra iuueni / Tempore lecta pati frena docentium equi. / Ferreus assiduo conrumitur anulus vsu. / Interit assidua vomer: aduncus humo. / Quid magis est durum saxo quid molius vnda. / Dura tamen molli saxa cauantur aqua. Libro 2. Rustica paulatim taurus aratra subit. Libro 3. extra. Conteritur ferrum silices tenuantur ab vsu. Idem de remedio amoris libro 2. et finali. Grandia per multos tenuantur flumina riuos / Magnaque seducto stipite flamma perit.

Frontinus libro i. titulo 10. Quintus sertorius quod experimento didicerat imparem se vniuerso romanorum exercitui: vt barbaros quoque inconsulte pugnam exposcentes docerent: adductis in conspectu duobus equis: **altero** preualido: altero ad modum exili: duos admouit iuuenes similiter affectos robustum et gracilem: ac robustiori imperauit equo exili vniuersam caudam abrumpere: gracili autem valentiori per singulos pillos euellere. Cumque gracilis fecisset quod imperatum erat validissimus cum infirmi equi cauda sine effectu luctaretur: naturam inquit sertorius romanorum cohortium per hoc vobis exemplum ostendi: milites insuperabiles sunt vniuersos agredientibus eosdem: lacerabit et carpet qui per partes attentauerit.

Commented [CN9]: fol.87va

Marcialis cocus libro vndique suscepto 3. capitulo. Decidit immensus paulatim montis aceruus. / Fluminea tellus aluuione perit.

Gregorius in pastorali capitulo 58. Hoc agit scintilla latenter crescens: quod patenter procella seuiens.

Isidorus in synonymis solliloquiorum libro 2. capitulo 31. Paulatim crescunt vitia: et dum parua non cauemus in magnis prolabimur.

Auctor libelli qui dicitur facetus capitulo 5. Et durum lapidem gutta cadendo cauat.

Iacobus beneuentanus capitulo 50. Gutta leuis saxum durum cauat illa frequenter / Dum cadit id supra: quod tibi dico nota.

Prouerbia vulgaria. A passo a passo val homo bem longi. Aquatro aquatro semple el sacco.

De multitudinis acceptabilitate et reprobatione paucitatis: Rubrica 6

Salomon in prouerbiis capitulo 14. In multitudine populi dignitas regis: et in paucitate plebis ignominia principis.

Aristoteles politicorum libro 4. capitulo 9. Ubi multum quod intermedium minime fiunt: conturbationes et dissessiones politiarum. Et magne ciuitates sunt magis siue seditionibus propter eandem causam: quia multum quod medium. In paruis autem facile diuidere omnes in duo: vt nihil relinquatur medium: et omnes fere egei vel opulenti sunt. Idem topicorum libro 3. Magis eligenda est super abundantia amicitie quam pecuniarum.

Ouidius de arte amandi libro i. ad finem. Qui **sapit** innumeris moribus aptus erit. Libro 2. Sed que non prosunt singula multa iuuant.

Cassiodorus epistolarum libro 6. epistola 11. Constat felicem esse rem publicam que multis ciuibus resplendet ornata.

De acceptabilitate temporis et sociorum: Rubrica 7

Salomon in ecclesiastice capitulo 3. Omnia tempus habent: et suis spaciis transeunt vniuersa sub sole. Tempus flendi: et tempus ridendi: tempus lugendi et tempus saltandi. Tempus acquirendi: et tempus perdendi: tempus custodiendi: et tempus abiiciendi. Tempus tacendi et tempus loquendi. Cuncta fecit deus bona in tempore suo. 8. capitulo. Omni negotio tempus est et opportunitas.

Oratius in epistolis libro i. epistola 11. Tu quamcunque deus tibi fortunauerit horam. Grata sume manu: nec dulcia differim annum.

Ouidius de remedio amoris libro i. Temporibus medicina valet: data tempore prosunt. / Et data non apto tempore vina nocent. / Quam etiam accendas vitia mitesque vitando / Temporibus si non agrediare suis. Idem de tristibus libro 6. et finali capitulo i. Iudicis officium est vt res ita

Commented [CN10]: fol.87vb

tempora rerum / Querere. Consilium resque locusque dabunt. Idem sine titulo seu amorum libro i. capitulo 3. Consilium nobis resque locusque dabunt.

Paulus apostolus epistola 2. ad corinthios capitulo 6. Ecce tempus acceptabile. Ecce dies salutis.

Seneca tragediarum in medea capitulo 3. Tempori aptari decet.

Lucanus libro i. Tolle moras semper nocuit differre paratis.

Maximianus: Non omnibus annis omnia conueniunt.

Marcialis cocus libro vndique suscepto capitulo 5. Uiuendi recte fatuus procrastinat horam.

Auctor libelli de formula honeste vite capitulo 2. Prout rerumque temporum varietas exigit: ita te accomodes tempori: nec te in aliquibus mutis: **sed** potius aptes.

Commented [CN11]: fol.88ra

Cato capitulo 3. Rem tibi quam noscis aptari dimittere noli. Fronte capillata post hec occasio calua. Capitulo 5. et finali. Quam primum rapienda tibi est occasio prima. Ne rursus queras que iam neglexeris ante.

Cassiodorus epistolarum libro 5. epistola 22. Aptum est omne bonum locis suis: et laudabilia quoque sordes eunt nisi congrua sede potiantur.

Isidorus in synonymis solliloqiorum libro 2. capitulo 41. In bonis dilatio nocet.

Iacobus beneuentanus capitulo 19. Si quid permissum fuerit tibi suscipe raptim: / Mens a proposito nam resilere potest.

Auctor libelli de moribus medicorum capitulo 15. Omnia fructificant cum venit apta dies.

Belinus in speculo vite particula i. extra. 4. Tempore cuncta suo quisque peritus agit.

Prouerbia vulgaria. Chi ha tempo non speta tempo / Quando dio da porcello appara sa chello / Saxun vende merce. / Nauega te nauega. / El destro fa laron. / El destro fa putana.

De modo celeritatis dilationis et more: Rubrica 8

Salomon in prouerbiis capitulo 13. Substantia festinata minuetur: que autem ea paulatim colligitur manu multiplicabitur. Spes que differtur affligit animam. Idem in ecclesiastice capitulo 8. Quia non profertur cito contra malos sententia: absque vllo timore filii hominum perpetrant mala.

Aristoteles ethicorum libro 6. capitulo 6. Operari quidem oportet velociter consiliata: consiliari autem tarde.

Salustius in iugurtino. Natura mortalium preceps est ad explendam animi cupiditatem. Animo cupienti nihil satis festinatur.

Tullius phylipicorum libro 6. Expectatio quidem quantum afferat langoris animo quis non videt.

Ouidius epistolarum 16. epistola. Sed nimium properas: et adhuc tua messis in herba est.

Epistola 18. Longa est nobis omnis que gaudia differt. Idem de arte amandi libro i. Tempore difficiles veniunt ad aratra iuuenti / Tempore lecta pati frena docentur equi. Idem de remedio amoris libro i. Nam mora dat vires: teneras mora percoquit vvas. Et validas segetes quod fuit herba facit. Idem de tristibus libro 4. epistola 6. Tempus vt extentis tumeat facit vva racemis / Utque merum capiant grana quod intus habent / Tempus et incauas semen producit aristas / Et ne sit tristi poma sapore facit. / Hoc tenuat dentem terram minuentis aratri. / Hoc rigidos silices hoc adamantem terit. / Hoc etiam suas paulatim mitigat iras. / Hoc minuunt lachrymas: mestaque corda leuat. / Cuncta potest igitur tacito pede lapsa vetustas. Idem de ponto libro 3. epistola 7. et antepenultima. Mitius ille perit subita qui mergitur vnda. / Quam sua qui tumidis barachia lassat aquis.

Commented [CN12]: fol.88rb

Seneca tragediarum in epido capitulo 10. Quid verba queris: veritas odit moras. Idem epistolarum ad lucillum libro 5. epistola 11. et finali. Nihil ordinatum est quod precipitatur et properat. Idem declamationum seu ciuilium causarum libro 7. capitulo 7. Affectus non sustinet moram. Idem in prouerbiis. Etiam celeritas in desiderio mora est. Ad penitendum properat qui cito iudicat. In iudicando criminosa est celeritas. Mora omnis odio est: sed sapientem facit.

Lucanus libro i. Tolle moras: semper nocuit differre paratis.

Iuuenalis libro 3. satyra 2. Breuesit quod turpiter audes.

Marcialis cocus libro vndique suscepto capitulo 5. Uiuendi recte fatuus procrastinat horam.

Maximianus. Pena minor certam subito proferre ruinam. / Quam timens grauius sustinuisse diu.

Prosper sub 66. emp. Gratius est fructus quam spes productior edit. Epigramma 70. Quid iuuat in longum causas producere morbi. Cur dubium expectat cras hodierna salus.

Cassiodorus epistolarum libro i. capitulo 39. Quod salubriter constat esse dispositum per tarditatis vicium non incurrat obstaculum. Libro 3. capitulo 14. Malum cum perseuerat augetur: et remediabile bonum est in peccatum accelerata correctio. 40. capitulo. Lesionis genus est profutura tardare. Non possumus existimare iocundum quod ingrata fuerit dilatione suspensum. Libro 6. capitulo 9. Omne siquidem iustum celeritatis comodo transit ad beneficium: et quod debito redditur tali gratia munus putatur. Libro 9. epistola 24. Habet hoc humana conditio vt celerius adepta fastidio sint: dum omne preciosum vilescit oblatum. Dulcius accipitur quod sub aliqua dilatione prestatur.

Commented [CN13]: fol.88va

Isidorus in synonyma solliloquiorum libro 2. capitulo 41. In bonis dilatio nocet.

Bernardus libro de improbatione viciorum capitulo 4. Expectata ferunt valiturum semina fructum.

Iacobus beneuentanus capitulo 19. Siquidem promissum fuerit tibi suscipe raptim. / Mens apposito nam resilere potest.

Auctor libelli qui incipit astrolabi. Disce diu: firmaque tibi tardaue doceto. / Atque ad scribendum ne cito prosilias.

Prouerbia metrica extraordinem libro vagantia. Uir sapiens caro leporem capit et pede tardo.

Prouerbia vulgaria. Chi va plan siua san. / El sauio prende la leuore col carro. / Tosto e bene raro se conuene.

De serotinis et tempestiuis: Rubrica 9

Uirgilius eneide libro 2. circa medium. O socii qua prima inquit fortuna salutis. Monstrat iter: quaque ostendit se dextra sequamur.

Ouidius de remedio amoris libro i. Principiis obsta: sero medicina paratur. / Cum mala prolongas conualuere moras. / Uidi ego quod primo fuerat sanabile vulnus. / Dilatum longe dampna tullisse mora.

Quintilianus declamationum 6. declamatione. Pleraque sera pro nullis sunt.

Seneca tragediarum inueste capitulo 5. Serum est cauendi tempus in mediis malis. In argumentatione capitulo 4. Sera nunquam est ad bonos mores via.

Commented [CN14]: fol.88vb

Lucanus libro i. Tolle moras semper nocuit differre paratis.

Iuuenalis libro i. satyra i. Animante tuba galeatum sero duelli / Penitet.

Cato capitulo 3. Rem tibi quam noscis aptam dimittere noli. Fronte capillata post hec occasio calua. Capitulo 5. et finali. Quam primum rapienda tibi est occasio prima: / Ne rursus queras que iam neglexeris ante.

Gregorius in pastorali capitulo 40. Sepe dum oportune agere que possumus nolumus paulo post cum volumus non ualemus.

Baldo 34. fabula que est antepenultima. Iam nimis est serum: post sumpta pericula rerum. / Presumptiuarum stultum piguisse suarum.

Montenarius in luna cleri capitulo 95. Utilius fero quam nunquam linquitur error.

Prouerbia vulgaria. El seno de drio val pocho / El can no noa sel no a laqua ala coa. / El mato non fa pato seno com so dano fato.

De repentinis seu subitis actibus: Rubrica 10

Tullius tusculanarum questionum libro 3. Uidentur omnia repentina grauiora.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 19. capitulo 1. Omnia nouitate sunt grauiora.

Stattius thebaides libro 10. Male cuncta ministrat. Impetus.

Auctor libri de formula honeste vite capitulo 2. Nihil tibi subitum sit: sed totum ante prospicias.

Boetius de consolatione libro 2. capitulo i. Omnis subita mutatio rerum: non sine quodam quasi flucra contingit animorum.

Cassiodorus epistolarum libro i. capitulo 16. Omnia subita probantur incauta. Libro 8. capitulo 13. Inexplorati suspensionem non refugit quod repente prouenerit.

Mattheus vintoniensis particula i. capitulo 20. Consuevit habere / Effectus fragiles impetuosa manus.

De sufficientia societate et insocietate: Rubrica 11

Commented [CN15]: fol.89ra

Salomon in prouerbiis capitulo 27. Infernus et perditio non replebuntur. Similiter et oculi hominum insaciabiles. 30. capitulo. Tria sunt insaturabilia et quartum quod nunquam dicit sufficit: infernus: et os vulue et terraque nunquam saciatur aqua: ignis vero nunquam dicit sufficit. Idem in ecclesiastice capitulo i. Non saturatur oculus visu: nec auris impletur auditu.

Aristoteles rethoricorum libro 2. capitulo 26. Iuuenes sunt cito saturabiles ad concupiscentias: et vehementer quidem concupiscunt: celeriter autem desinunt. Idem politicorum libro 2. capitulo 4. Infinita est natura concupiscentie: ad cuius repletionem multi viuunt. Malitia hominum irreplebilis est.

Socrates in exhortationibus capitulo 2. Satietas omnium mala.

Tullius tusculanarum questionum libro 5. et finali. Stultitia etsi adepta est quod concupiuit: nunquam tamen se satis consecutam putat. Idem de fine bonorum et malorum libro i. Cupiditates sunt insaciabiles. Ignauium cupiditatum nec modus vllus nec finis inueniri potest.

Seneca de consolatione. Cupiditati nihil satis est: nature satis est etiam parum. Quicquid desiderio quod non ex inopia: sed vitio nascitur congesseris: non finis erit cupiditas sed gradus. Idem epistolarum ad lucillum libro 10. epistola 4. Nemo est cui felicitas sua etiam si cursu eveniat satisfaciat.

Boetius de consolatione libro 2. capitulo 9. Paucis minimisque natura contenta est. Cuius societatem si superfluus vrgere velis: aut iniocundum quod infuderis fiet: aut noxium. Libro 3. capitulo 5. Nature minimum: auaritie nihil satis est.

Cassiodorus epistolarum libro 11. epistola 2. Unus satiare non valet omnium vota. 3. epistola. Arduum est quidem multorum desideriis satisfacere.